



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam
ad majorem omnium in Ascesi proficere cupientium utilitatem ac
subsidium

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1685

§. 2. De Peccatis in specie, & nominatim de Superbia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

per accidens: quatenus removent prohibens seu obstaculum peccati mortalis, scilicet fervorem caritatis, & aliarum virtutum habitum, peculiaria quoque gratiauxilia, quibus alioqui homo fuisset à peccato mortali inhibitus. Quæ omnia cõplexus est breviter S. Albertus Magnus, dum in compendio suæ Theologiæ dixit: Peccatum veniale minuit fervorem caritatis, sicut aqua in igne projecta, licet igne non extinguat, fervorẽ tamen illius temperat. Item potentias animæ in bonis operibus lassat, sicut quando ponitur pondus super equum, minus erit promptus ad ambulandum. Item bona celestis gloriæ diminuit, non quidem illa, quæ jam habemus ibi per meritum reposita, sed quæ deberentur, si venialia non fuerint; quia in eo tempore possunt aliqua bona fieri, quando illa fiunt.

§. II.

De Peccatis in specie, & nominatim de Superbia.

I. Est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, de quo tria specialiter observare debet Asceta.

II. Primum est, ut bene agnoscere illud queat: nam, ut S. Gregorius sapienter advertit, difficile in se quisque inveteratam superbiam deprehendit; quia nimirum hoc vitium, quantò magis patimur, tantò minus videmus.

III. Alterum est, quòd hoc vitium ab omnibus quidem, sed specialiter ab Asceta vitandum sit, quia, teste S. Chrysostomo, nihil longiùs ab amore DEI abducit; nihil tam facillè in gehennam intrudit, quàm superbiæ insania: & quia juxta Cassianum morbus superbiæ, licet ultimus sit in conflictu vitiorum, origine tamen

tamen & tempore primus est. Sævissima, & superioribus cunctis immanior bestia, perfectos maximè tentans.

IV. Tertium est, ut bene agnoscere studeat radicem hujus vitij, quò faciliùs & efficacius illud sanare possit; sic enim S. Gregorius monuit dicens: Vitium superbiæ ab ipsa radice secandum est, ut, cùm latentè oritur, tunc vigilanter abscindatur, ne profectus vigeat, nec usu roboretur. Porro radix hujus vitij potissima est, quod bona, ob quæ quis effertur, ut propria aspiciat, & plùs æquo æstimet; unde duo potissimum media ad hanc radicem extirpandam adhibenda erunt. Primum est, ut certò sibi quisque persuadeat, omnia bona, quæ habemus, DEI, dona esse, ac proin non modò ob ea extolli non debere, sed graviter potiùs timere, ne, quò plura sunt collata, eò gravior, severiorque à nobis ratio exigatur. Alterum est, ut pariter bene sibi persuadeat, alia longè esse DEI, quàm hominum judicia, ut adeò meritò SS. Augustinus & Gregorius dixerint: Væ laudabili vitæ hominum, si remota pietate judicetur; quia unde ante oculos Judicis se placere suspicatur, obruitur.

§. III.

De vana gloria.

I. Est inordinatus Gloriæ appetitus. Gloria autem est clara aliorum de nobis, bonaque æstimatio, de qua quatuor specialiter doctrinas bene apprehendere debet Asceta.

II. Primum est, ut bene cognoscat rationes, ob quas nihil sibi tribuere, omnémque laudis appetitum exclu-